








DE INDOLE ATQUE INGENIO MEGARENSIUM LIBELLUS.

PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
ET
VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE AC LEGITIME OBTINENDIS

COMPOSUIT
HERMANNUS REINGANUM,
MOENO - FRANCOFURTANUS.



BEROLINI, MDCCCXXV.
TYPIS G. REIMERI.

G. H. L. NICOLOVIO,

REGI BORUSSORUM A CONSILIIS RERUM REGIMINIS
VERE INTIMIS AC SUMMIS, PARTIS MINISTERII
REGII ECCLESIASTICAE DIRECTORI, ORDINIS
AQUILAE RUBRAE CLASSIS SECUNDAE
EQUITI

VIRO

ILLUSTRISSIMO, HUMANISSIMO, DOCTISSIMO

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

DE

INDOLE ATQUE INGENIO MEGARENSIUM

LIBELLUS.

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

ET

VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE AC LEGITIME OBTINENDIS

COMPOSUIT

HERMANNUS REINGANUM,

MOENO - FRANCOFURTANUS.



BEROLINI, MDCCCXXV.

TYPIS G. REIMERI.

G. H. L. NICOLOVIO,

REGI BORUSSORUM A CONSILIIS RERUM REGIMINIS
VERE INTIMIS AC SUMMIS, PARTIS MINISTERII
REGII ECCLESIASTICAE DIRECTORI, ORDINIS
AQUILAE RUBRAE CLASSIS SECUNDAE
EQUITI

V I R O

ILLUSTRISSIMO, HUMANISSIMO, DOCTISSIMO

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI
S.

Quem tibi iam offero, lector benevole, libellus commentationis loco, cuius pars est, latioris de *varia Graecorum indole varioque ingenio* ante impetratos honores exhibitae, amplissimi philosophorum ordinis auctoritate in lucem prodiit. Inaugurales, quas Veterum auctoritate destituti perperam vocant, dissertationes, tironum, qui in castris Minervae primo stipendia merere conantur, opera, cum libelli modum,

ut mos fert, raro tantum excedant, succinctam modo latioris illius commentationis partem typis exscribendam curavi. Vale.

De universa Graecorum indole universoque ingenio accurate si quis disserere velit, indolis atque ingenii, quibus singula Graecorum genera singulorumque generum partes conspicuae, varietatem bene cognoscat necesse esse, quis est, qui infitietur? Singulorum, et parvorum quidem Graeciae populorum rebus diligenter investigatis illustratisque, tum demum ad universam inclyti illius populi historiam accingi nos posse componendam, nulla alia nisi nostra magis viri docti intellexere aetate. Quin omnium Graecorum Megarenses, Atheniensibus celeberrimis vicini, ob indolem propriam ac miram praecipue digni sint, de quibus fusius ac prolixius disseratur, omni sane vacare videtur dubitatione. Rerum Megaricarum fontem singuli tantum praebent loci, ex Veterum scriptis non sine labore congesti; temporum enim iniuria praecipui proh dolor! interiere rerum Megaricarum fontes, ut Dieu-

chidae, qui soluta oratione *Μεγαρικὰ* [1]), Epicharmi, qui carmen *Μεγαρὶς* inscriptum [2]), Theophrasti, qui librum, cui titulus *ὁ Μεγαρικὸς* [3]), Praxionis [4]), et Hesagorae [5]), qui *Μεγαρικὰ* composuere, scripta. Nihilominus, quantum vires, debiles licet, arctique huius speciminis limites concessere, virorum doctorum indulgentia confisus, veterum Megarensium indolem atque ingenium in disceptationem vocare conatus sum.

Tria nobis occurrunt Graecorum genera, Iones, Dores, Aeoles, quos res Graecas indagaturi taciti nullo modo praeterire poterimus. Qua quidem generum varietate revera nititur universa indolis varietas; ab universa vero indole generis propria, ea, qua singula quaedam generis pars praeterea conspicua fuit, indoles diligenter est distinguenda. Lata de generibus Graecorum disputatio cum huc non pertineat, id tantum, cuius soboles parvus Megarensium populus evaserit, genus, Dores dico, praecipue spectemus necesse est. [6]) Ionismo, qua, ne

---

[1]) Quorum liber quintus laudatur apud Diogen. Laert. I. 57. praeterea ap. Athenaeum lib. VI. p. 505. ed. S. et Schol. Aristoph. Σφηκ. 870.

[2]) Cuius quatuor versus apud Athen. VII. p. 43, IX. p. 350.

[3]) Diogen. Laert. VI. 22.

[4]) Schol. Aristoph. Ecclesiaz. 18.

[5]) Schol. Apollon. Rhod. I. 211.

[6]) C. O. Müller Geschichten Hellenischer Stämme und Städte. Breslau, 1824. Bd. II. Dorier.

multis, uti mihi liceat voce, agilitate quadam mollitieque ac facilitate conspicuo, Dorismum, duritie contra et gravitate ac rigore insignem, plane oppositum esse, omnes inter se convenere scriptores. Vel hic vel ille Graeciae populus generis, cuius pars fuit, indolem aut magis aut minus servare potuit veram atque integram. Quae in rebus Megaricis praecipue usu venisse, complura ac varia, quae infra exhibituri sumus, docebunt exempla. Quum regio, a Megarensibus habitata, priscis temporibus Ioniae tantum pars fuisset, Ionumque mores atque instituta cum moribus et institutis Dorum, terrae Megaricae expugnatorum, incolae postea commutassent, Megaricus Dorismus adoptati modo, incolis vero non insiti ingeneratique praebere potuit Dorismi speciem. Priusquam vero quaereremus, quaenam Megarensium instituta veram praebuerint Doricam indolem, quae contra ab illa magis abhorruerint, ad illustrandam Doricam parvi populi originem Veterum annales evolvamus necesse.

Terram Megaricam, cuius prisci incolae Cares Lelegesque fuisse dicuntur [*]), antiquissimis temporibus Ioniae partem fuisse, nemo, credo, ignoret. Quare Megaridis incolas Ionibus adscripsisse vide-

*) Pausan. I. 39. 5. IV. 36.

tur divus Homerus, omnes Atticae incolas his versibus complexus [1]):

Οἱ δ' ἄρ Ἀθήνας εἶχον, εὐκτίμενον πτολίεθρον.

Populis quoque, quos bello Troiano una cum Ionibus stipendia merentes idem poeta faciat [2]),

Ἐνθάδε Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες

Megaridis adnumerandos esse incolas auctor est Strabo. Qua ratione Ionum mores, dialectum, instituta ab antiquissimis temporibus per ea, quibus Lelex, Cleson, Pylas, Pandion alter, Nisus, Megareus, Alcathous, Aiax ultimusque Hyperion Megaris regnabant, saecula ad Codri, regis Attici, aetatem usque ab incolis servata esse liquet. Codro vero regnante cum Dores, ex Attica repulsi, parvam illam, quam postea Megaridem vocavere, partem expugnassent, Megarasque, regionis caput, illa aetate valde exiguum, novis colonis auxissent, Dorum indolem, linguam, instituta incolae mox adoptare coeperunt [3]).

Megarenses, et quod omnium Peloponnesi Dorum extremi, et quod Atheniensibus, quorum indoles Ionica verissima et integerimma, tam vicini erant, multis partibus Dorismum servare nequiverunt integrum. Ab Atheniensibus cum maxime

---

[1]) Ilias. β. 546. Strabo, p. 392. ed. Cas,
[2]) Il. ν. 685.
[3]) Pausan. I. 39. 4. Müller Dorier. I. S. 88.

penderent, indoli Megaricae servile quoddam et *ἀνελεύθερον*, ut ita dicam, inesset, multaque instituta Dorismi speciem sibi conciliarent Ionismo permixti, necesse esse crediderim. Quare angustissimus Megarensium Dorismus. Variis rebus ex vicinitate illa perpetuoque eorum cum Atheniensibus commercio exortis, factu opus erat, ut modo huc, modo illuc Megarensium abiret ingenium. Sed ad Dorismum eorum paulo infra redituri sumus.

Regionis inter utrumque sinum maritimum prope frequentatam illam, qua a Peloponneso in Helladem traducitur, pontem sitae, magni commercii fructibus quibusdam magni pretii e terra Megarica in alias regiones evectis apud Megarenses exorti, Megarorum urbis, regionis capitis, mari proximae, egregioque portu instructae si quidem rationem haberemus, crederemus nimirum, fautrice natura animi ingeniique Megarensium cultum ad alta fastigia facile evehi potuisse; sed, quod nullo modo ita sese habuerit, ne miremur, reputemus necesse fuerit, ob nimiam potensissimorum populorum, Atheniensium nempe, Boeotorum, Corinthiorum vicinitatem variis, quibus ingenii cultus saepissime turbaretur, parvum Megarensium populum afflictum esse calamitatibus miseriisque. Quae cum ita essent, civitatis, qua, ut pila, illi lusere, incolae nonnisi anxii perpetuo, leporis instar ignavi, natu-

ra serviles evadere potuerunt. Cuius rei eximii testes libri Megarensium annales. Huc accedit, omnino inertes, inhabiles nec satis politos eos fuisse. Quo factum est, ut, perridiculos haud raro cum se praeberent, ab omnibus fere Graecis, inprimis Atheniensibus, vario modo illuderentur, immo vero plane despicerentur. Cuius rei egregia exempla in Acharnensibus alibique Aristophanes exhibuit comicus poeta. Ne tenerrimis quidem miri singularisque populi ingenii lineamentis praetermissis celatisve, perlonga illa series exorta est proverbiorum, Megaricam indolem probe depingentium. En, quae nobis tradita sunt, tibi offero proverbia:

Μεγαρέων ἄξιοι μερίδος [1]). *Qui in Megarensium numerum adscribantur digni.* Pro „ἄτιμοι", quales ex omnium iudicio Megarenses fuisse tradantur, interpretante Lexicographo, positum. — *Υμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι* [2]). — Quod oraculo nititur proverbium. Quibus ultimis oraculi verbis aliud inserendum nomen, pro *Μεγαρεῖς* nempe *Αἰγιεῖς* potius ponendum esse censuere nonnulli. Aegiensibus, Achaiae populo, alii, alii Megarensibus, quinam Graecorum se potiores essent, cum

---

1) Suidae. lexic. s. v.; ex quo repetita quoque, quae sequuntur, proverbia.

2) Tzetz. Chiliad. IX. 291. Eustat. ad Homer. p. 292.

e Deo quaesivissent, oraculum illud datum perhibent. Cuius finem ita audiisse tradunt integrum:

Ὑμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς [alii *Αἰγιεῖς*] *οὔτε τρίτοι*
οὔτε τέταρτοι
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

quare Callimachus [1]):

τῆς δὲ ταλαίνης
Νύμφης, ὡς Μεγαρέων, οὐ λόγος οὐδ' ἀριθμός — *Μεγαρικὴ μηχανή*, quod voce *πονερὰ* Lexicographus interpretatur. *Ars, astutia Megarica.* — *Μεγαρέων δάκρυα*, *Megaricae lacrymae*, simulatae nempe, allio, quo regio Megarica abundabat, elicitae [2]). Quo cibo cum maxime delectarentur Megarenses, quod deriderent, habuerunt Graeci. — *Μηδὲ ποτε μηδεὶς Μεγαρέων γένοιτο σοφώτερος* [3]), quae per ludibrium dicta esse facile intelligendum. — *Μεγαρικαὶ σφίγγες*; pro *Μεγαρικαὶ ἑταῖραι*. Quod nomen hominibus effoeminatis ac mollibus omnino inditum, vel a Maia quadam, *κατ' ἐξοχὴν* sic vocata,

---

[1]) Antholog. graec. ed. Jacobs. Tom. I. p. 85. Theocrit. XIV. 48.

[2]) Schol. Aristoph. Pac. v. 248. *Ἰὼ Μέγαρα· σκόροδα ἐμβάλλων ταῦτα φησιν. ἡ γὰρ Μεγαρικὴ σκοροδοφόρος.* Porro: *κλαύματα τοῖς γὰρ ἐσθίουσι σκόροδα δάκρυα ἔπεισι διὰ τὴν δριμύτητα.* conf. Plin. Hist. Natur. XIX. 5. XX. 9. Ovid. de remed. amor. v. 797. Columella X. 106. Cato R.R. 8. Aristophanes ed. Invernizzio Commentar. Vol. IV. p. 405. 457.

[3]) Cf. Erasmi Roterd. Adagia. e Diogenian.

repetundum esse Suidas coniicit. — Γέλως Μεγαρικὸς, *risus Megaricus*, in eos, qui impestive rident iocanturque, usurpatum [1]). — Ὑπὸ Μεγαρέων τὸ δεῖνον, quod ignorat Suidas, proverbium exstasse ratus est Schweighaeuserus [2]). — Ὁ Διὸς Κόρινθος adagium, ad Megarenses licet relatum, huc tamen pertinere non videtur. Quae omnia, praeter alia vitia, voce Μεγαρίζειν complexi sunt Veteres. Quam vero ad singulas tantum res, modo ad vocem, modo ad famem, modo ad animum, tum ad dialectum Megaricam haud raro invenimus relatam [3]). Pro mira vero disputandi ratione, qua philosophi Megarici usi sunt, inprimis Stilpo tanto conspicuus fuit, ut aetate eius cuncti fere Graeci megarisarent [4]), vox illa maxime usurpata esse videtur.

Ex quibus facile colligendum, levi tantum auctoritate atque honore apud populares gavisos esse Megarenses. Quos revera pessimos nefariosque saepissime se praestitisse, flagtiosissimisque facinoribus perpetratis inexpiabilem illorum, inprimis Atheniensium, reliquorumque sibi vicinorum in se convertisse odium, quis est, quem fugiat? Cuius

---

1) Schol. Aristoph. Vesp. 57.

2) ad Athenaeum. Vol. VII. p. 83.

3) Schol. Aristoph. Acharn. v. 822.

4) Suidas. s. v. Μεγαρίσαι; cuius verba e Diog. Laërt. Stilponis vit. verbotenus excerpta.

rei vero ne gravia desint testimonia, nonnulla exhibere mihi liceat exempla. Sic Anthemocritum, Atheniensium praeconem, ne Megarenses terram deabus Eleusiniis consecratam, (τὴν γῆν ἱεράν, ἀόριστον) utroque populo communem porro colerent consererentque, monitu Megaras missum, omni humanitate exuti contra ius gentium necavere [1]). Quod flagitiosissimum facinus (ἀνοσιώτατον ἔργον Pausan.) quae deinceps secuta sint, nemo credo, ignoret. Nuntio allato, populus Atheniensis in Megarenses adeo saeviit, ut a sacris statim eos excluderet Eleusiniis [2]). Quo facinore etiam nisa est lex, suasore Pericle a Charino lata, atque in populi concione confirmata, qua Megarensium quiscunque Atticam ingressus capitis supplicio porro afficeretur [3]), belloque bis per annum Megarensibus inferendo imperatores obstringerentur iureiurando [4]). Interdictum illud si qua revocassent Athenienses, bellum Peloponnesiacum, cunctae Graeciae tam perniciosum, non tam mature fortasse esset exortum [5]). Crimini

[1]) Plut. vit. Pericl. c. 30. Pausan. I. 36. III. 4. Epistol. Philippi ad Senat. Athen. in orat. graec. monum. ed. Reiske. Vol. I. p. 159.

[2]) Demosthen. l. l. Henric. Vales. in notas Maussaci ad Harpocr. p. 227.

[3]) Schol. Aristoph. Pac. 604 — 8. Thucydid. I. 67. Plut. l. l. Aul. Gell. Noct. Att. VI. 10.

[4]) Plut. vit. Pericl. c. 30. Thucyd. II. 31.

[5]) Thucyd. I. 139.

illi, huiusque generis criminibus privatum quoque accessit Periclis in Megarenses odium [1]). Ipsorum beneficiorum, in reliquos Graecos ab Hadriano imperatore collocatorum, facinoris illius perpetrati causa non participes eos fuisse tradunt [2]).

Quae tunc praeconi, antea Peloponnesiorum legatis evenerant. Qui cum, rebus Megarensium post Theagenem expulsum maxime perturbatis, Delphos profecti, Aegiram [3]), Megaridis urbem, venissent, Megarenses quidam lascivi ac temulenti currus, in quibus una cum mulieribus et liberis legati sedebant, in paludem precipitaverunt, et ita demerserunt, ut nefarie periret maxima legatorum pars. Quod vero facinus ex oraculi effatis capite luere debuerunt nefarii. Ignominiosum inde *ἁμαξοκυλιστῶν* nomen posteris eorum inditum. [4])

Ut porro quaeramus, utrum tam pravi vitiosique revera fuerint Megarenses, nec ne, malam bonamque indolem, qua licet superior illa evadat, integre recenseamus necesse sit.

Omnium Graecorum mendacissimos fuisse crediderim Megarenses; non aliae enim tam parvi po-

[1]) Plut. l. l.

[2]) Pausanias. I. 36.

[3]) Eadem fuisse videtur urbs atque *Aegosthena* cf. Berkel. ad Suidae lex. s. v. *Αἰγείρουσα*. cf. Müller Dorier. II. p. 432.

[4]) Plutarch. Quaest. Graec. Tom. VII. p. 213. ed. Reiske.

puli res tantis, quantis Megaricae, depravatae esse potuerint controversiis mendaciisque. Itaque narrationibus Megaricis, immo vero iis, quae vernaculi eorum scriptores in scriptis, quae supersunt, Veterum passim tradidere, mimima habenda est fides. Qua de re ut tibi persuasum sit, Pausaniae evolvas, quaeso, Plutarchique libros, in quibus scriptores illos mendacii saepissime accusatos reperies refutatosque. Rerum praecipue, quibus infamia sibi parari potuisset, aut plane depravandarum aut e re sua adumbrandarum peritissimi fuere Megarenses. Hoc modo Scironem, vernaculum latronem, a Theseo occisum, neque latronem neque omnino violentum, latronum potius punitorem, virorumque optimorum ac probissimorum familiarem, immo vero ipsius Aeaci necessarium fuisse frustra contenderunt.[1]) Cuius supra iam mentionem feci, necem, Anthemocrito praeconi illatam, pari modo sunt infitiati.[2]) Sic omnia fere, quae de Megaris conditis, quae de ordine, quo sibi reges successerint, et q. a. tradiderunt, falsa et obscura. Ne quid de Megaris regnante Niso a Minoë expugnatis posteritati traderetur, Megareum successorem posuere Niso proximum.[3]) Sic, contentione de

[1]) Plutarch. Theseus. c. 10.
[2]) Plutarch. Pericl. c. 30.
[3]) Pausan. I. 39. 5. I. 41.

regni successore exorta ex Aeaci, justi licet et severi iudicis, iudicio non Scironi, legitimo, ficto licet, successori, sed Niso, Pandionis II. filio, stulte et temere regnum fecere tributum; [1]) sic Tereum, Prognes coniucem, cui Daulidem sedi fuisse omnes inter se convenere scriptores, Pegis, Megaridis urbe, regnasse contenderunt. [2])

Ut dicta, ita facta Megarensium apud reliquos Graecos parum gesserunt fidei; suspicio inde perpetuo de iis habita [3]). Consilii ambigui, modo Atheniensium, modo Lacedaemoniorum, modo aliorum evaserant socii. Minimis etiam rebus ad deficiendum compulsi, gravissimas haud raro pependerunt temeritatis poenas. [4]) In exteros non solum, sed in semet ipsos etiam quam perfide egerint, permultis comprobatur exemplis. Cuinam ignotae proditiones, a scriptoribus belli Peloponnesiaci enarratae [5]), cui ignota proditorum Megarensium nomina, Perilai Ptoeodorique, Philippo etiam, Alexandri Magni patri, (cuius partibus stu-

---

[1]) Pausan. l. l.

[2]) Pausan. X. 4. Strabo IX. p. 423. Siebelis annott. in Paus. Tom. I. p. 148.

[3]) Thucydid. I. 42.

[4]) Thucyd. II. 31. Diod. Sic. XII. 5. XII. 44.

[5]) Idem IV. 68. sq. Diod. Sic. XV. 40.

duerunt, despicatissimorum? [1]) Parum prudenter damnum saepius inferre studuere Atheniensibus omnium vicinorum sibi periculosissimis. Sic caeteros populos ab Atheniensium societate abalienare eos iuvit. Olympiade octogesima tertia Corinthios Sicyonesque atque Epidaurios ad deficiendum impulere [2]), servos Atheniensium fugitivos recepere. [3]) Quas res quae deinceps secuta sint, Megarensibus damnosa, quis est, qui ignoret? Quam lascivi ac petulantes victores, tam serviles ac demissi victi Megarenses. Vi atque auctoritate Philippi, Macedoniae regis, apud Graecos auctis [4]), Megaris a Demetrio Poliorcete captis [5]), aliisque temporibus quam submisse se gesserint, inter omnes constat. Qua turpi olim Perinthii Megarenses insecuti sint contumelia, narrat Plutarchus [6]).

Sui amore capti, rerum quarumcunque suarum quam maxime flagrabant studio. Haud exigua inde pervicacia eorum ac pertinacia, nec minus pugnandi certandique libido. Quibus perpetua nititur de finibus contentio, cum populis vicinis, inprimis Co-

---

[1]) Demosthen. de corona. p. 242. (ed. Reiske); de falsa legat. p. 435.

[2]) Thucyd. I. 114.

[3]) Thucyd. I. 139.

[4]) Demosthen. de falsa legatione. p. 435. ed. R.

[5]) Diod. Sicul. XX. 46.

[6]) Quaest. Graec. Tom. VII. p. 211. ed. R.

rinthiis, excitata. [1]) Quare non mirum, quod, nimio sui amore ducti, institutis Megaricis et q. a. nihil praestabilius putaverint. Suam e. g. quum magni aestimarent civitatem, Hermonem, classis praefectum, qui gratia floruit Lysandri, civitatem non prius donare voluerunt, quam ii suam Lacedaemonii tribuissent [2]), Quae sequitur, res perridicula digna mihi visa est memoratu. Alexandro Magno nempe, qui cum civitatem, qua eum Megarenses donaturi erant, tanquam rem parvi pretii recusasset, nemini adhuc nisi Herculi civitatem antea tributam esse, renuntiari iusserunt; quo facto heros ille, singularem atque extraordinarium ratus honorem, lubenter eam accepit [3]),

Utilissimo, quod aliis se dare posse arbitrati essent, consilio confisos, in iis, quibus complures Graeciae populi interessent, concionibus nimis temere et inconsiderate locutos esse Veteres perhibent. Megarensi in concione aliquando Lysandrum temere et audacter allocuto, hic respondisse fertur: *urbe indigent* (*πόλεως δέονται*), *hospes*, *dicta tua* [4]). Concione post commissam apud Plataeas pugnam

[1]) Thucyd. I. 103. Diod. Sicul. XI. 79.

[2]) Demosthen. adv. Aristocrat. Tom. I. p. 491. ed. R.

[3]) Plutarch. de monarch. democr. et olig. p. 285. Vol. IX. ed. R.

[4]) Plut. vit. Lysandri c. 22.; de adulat. et amici discr. p. 264. Vol. VI.; apopthegm. Laconica. Vol. VI, p. 855. ed. R.

convocata, Lacedaemoniis primas deferre, ac, tropaeum ut statuerent, permittere cum noluissent Athenienses, Theogeiton, Megarensis, alius civitatis populo honorem illum tribuendum esse arroganter vociferatus, nullum alium nisi populares spectasse mihi videtur [1]). Quo minus ut *Βοιωτίαν ὗν* Boeotis, ita Megarensibus probrosum quoddam Veteres indiderint huius generis nomen, quid impediverit, sane nescio. Quo enim nos vertamus, pervaria, quibus acerbe notantur Megarenses, offendemus epitheta; e. g. *κατάρατοι* [2]), *ἀνελεύθεροι, μικρόλογοι* [3]), *δύστανοι ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρᾳ* [4]). Pittacus:

Μεγαρεῖς δὲ φεῦγε πάντας· εἰσὶ γὰρ πικροί [5]).

De *ἀμαθίᾳ* et *ἀπαιδευσίᾳ* Megarensium multum iocatum esse perhibent Diogenem Sinopensem [6]). Qui Cynicus, se arietem potius, quam filium viri Megarensis esse malle, eam ob causam dixisse fertur, quod de pecoribus, inprimis ovibus, maiorem, quam de liberis, curam illos adhibuisse

---

1) Plutarch. Aristid. c. 20.
2) Demosth. adv. Aristocr. p. 691. Tom. I. ed. R.
3) Auctor orat. adv. Neaer. Vol. II. Monum. oratt. Graec. ed. Reiske. p. 1356.
4) Theocrit. Idyll. XIV. 49.
5) Antholog. Graec. ed. Jacobs. Vol. II. p. 445.
6) Aelian. Var. Hist. XII. 56.

vidisset educandis [1]). Idem, longos muros (*τὰ μακρὰ τείχη*) a Megarensibus refici altiusque educi cum aetate provectus videret, *ὦ μοχθηροὶ*, acute locutus est, *μὴ τοῦ μεγέθους προνοεῖτε τῶν τειχῶν, ἀλλὰ τῶν ἐπ' αὐτῶν στησομένων* [2]). Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin non Megarenses acerbis ipsis, quas in gentes Tertullianus congessit, subterfugerent obiurgationibus. *Megarenses obsonant quasi crastino die morituri* acute dixit *ὁ ἐθνομάστιξ* [3]). Cuius dicti veritas multis comprobatur exemplis. De fame Megarica haud facile explenda Aristophanem, nimis licet, in Acharnensibus iocatum esse neminem fugit. Risum vero quis tenere queat, Megarensem, fame pressum, in foro Attico filias suas pro porcis venditurum videns? Fame tantum compulsos de subvertendo decreto supra iam memorato cum Atheniensibus agere voluisse Megarenses, perhibet quoque comicus poeta [4]):

'Εντεῦθεν οἱ Μεγαρῆς ὅτε δὴ 'πείνων βάδην
Λακεδαιμονίων ἐδέοντο, ψήφισμ' ὅπως
Μεταςραφείη τὸ διὰ τὰς λαικαςρίας·

---

[1]) Ael. l. l. Diog. Laert. vit. philosoph. VI. 41. Plutarch. de cupidit. divitiarum. Vol. VIII. p. 87. ed. R.

[2]) Stobaei Florileg. ed. Gaisford. Lips. Tit. VII. 47. Vol. I. p. 183.

[3]) Apologia contra gentes in opp. ed. Basil. 1521. fol. p. 578.

[4]) Aristoph. Acharn. 527.

K' οὐκ ἠθέλομεν ἡμεῖς, δεομένων πολλάκις·!
K'ἀντεῦθεν ἤδη πάταγος ἦν τῶν ἀσπίδων.

Eximium memoratuque dignum Herodorus, Megarensis, buccinator, edidit edacitatis exemplum. Qui, trium cubitorum et semissem corporis magnitudine conspicuus, lateribus praecipue amplus, panis *χοίνικας* sex, carnis, qualemcunque forte offenderit, libras viginti comedisse, binas vini *χόας* bibisse, duabus tandem buccinis eodem tempore buccinasse [1]) dicitur. Quem praeterea nonnisi in pelle leonina dormire consuetum fuisse perhibent. Omnium etiam buccinatorum gravissimum vehentissimumque dedisse fertur pugnae signum. Quum enim, Argis a Demetrio, Antigonis filio, obsessis, tormenta nimii ponderis causa a militibus promoveri nequirent, sonum excitavit adeo gravem, ut, militum animis confirmatis, opus facile perficeretur [2]). Periodum insuper decies vicisse traditur [3]). Quatuor vero cubita longum fuisse Herodorum, octoque carnis *μνᾶς* comedisse auctor est Pollux, qui ursinam praeterea cubili, tegumini leoninam ei inserviisse annotat pellem [4]).

[1]) Pollux Onomast. IV. 90.

[2]) Athen. Deipnos. lib. X. p. 15. ed. Schw.

[3]) Festo auctore victoriam in Olympicis, Isthmicis, Pythiis, Nemeis ab uno reportatam *περίοδον* esse vocatam, inter omnes constat.

[4]) Pollux Onomast. IV. c. 9. (sect. 89.) Schweigh. in Athen. Vol. V. p. 415.

Ut viri, ita feminae male audiebant Megaricae. Magni pretii e. g. vestimentum (ἀφάβρωμα), quo Abrotae, coniugis, cadaver Nisus, Megarensium rex, tegi iusserat, e sepulcro surripere saepissime, frustra licet, conatae sunt [1]). Uxorem quandam Megaricam ob ἀμαθίαν notat Plutarchus [2]).

Hactenus de vitiis perridiculaque, qua Megarenses conspicuos fuisse Veteres contenderunt, indole. Quae omnia an bona fide nobis tradita sint, quaesiturus nimis elata invenies complura fidemque superantia. Velis reputare, quantopere Athenienses, maioris ingenii vis sibi conscii, eos, quos se infirmiores existimarent, vituperare atque obiurgare continuo studuerint. En videas, quaeso, quibus vocibus utatur Aristophanes, Megarenses obiurgans:

Ἰὼ Μέγαρα Μέγαρ᾽, ὡς ἐπιτρίψεσθ᾽ αὐτίκα,
Ἁπαξάπαντα καταμεμυττωτευμένα [3])

alibique [4]):

Οὐδ᾽ οἱ Μεγαρῆς δρῶσ᾽ οὐδὲν, ἕλκουσι δ᾽ ὅμως
Γλισχρότατα σαρκάζοντες, ὥςπερ κυνίδια,
Ὑπὸ τοῦγε λιμοῦ νὴ Δί᾽ ἐξολωλότες.

Quare noli mirari, quod Megaridis incolae, et Atheniensibus finitimi, et natura sane perridiculi,

---

[1]) Quaest. Graec. Vol. VII. p. 182. ed. Reiske.
[2]) Vita Philopoemen. 2.
[3]) Aristoph. Pac. 246.
[4]) Ibid. v. 490.

tanto magis ab illis illuderentur. Atheniensium vero sententiae ac dicta cum maxima apud Graecos vigerent auctoritate, permulti, facetos secuti Athenienses, parvum illum populum vituperare coeperunt nec desierunt. Quam effusa vituperatione notati, tam modica laude celebrati Megarenses. Parvo populo veluti animali, cuius tergo quodvis onus imponeretur, uti consueti, vitia eius in medium solummodo protrahere, bonamque indolem ac merita silentio praetermittere studuerunt, ut opinor, Veteres. Laus inde exigua, et raro quidem populo a scriptoribus tributa.

Noli credere, omnibus numeris omnibusque partibus tardos eos se praebuisse atque inertes. Disciplinae e. g. navalis peritissimi fuere; quare *ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς* Theocritus eos vocat [1]). Mari proprinquo ad tentandam in terris longinquis fortunam impulsi, antiquissimis iam temporibus in diversissimas regiones deduxerunt colonias [2]). In proeliis navalibus, de servanda Graeciae libertate commissis, rerum maritimarum peritis agilitate prae aliis eminendi saepius iis oblata erat occasio. Salaminis expugnandae pericula ab Atheniensibus, na-

[1]) Idyll. XII. 28.

[2]) Histoire critique de l'établissement des colonies grecques, par **Raoul Rochette**. Paris, 1815. Tome III, p. 57. ff.

vibus et copiis iis superioribus, saepius facta aequo Marte quoties irritaverint Megarenses, inter omnes constat. Atheniensium triremis, a Megarensibus illo tempore capta, Megaris diu ostendebatur [1]). Quorum et naves completae viginti proelio apud Artemisiam commisso [2]), totidem apud Salaminem [3]), duodecim ad Corcyraeae littora (Ol. 87. 1.) [4]) interfuerunt. Qua Megarensium agilitate confisi, Corinthii, bello Corcyraeo (Ol. 86. 1.) novos colonos novasque copias Epidamnum cum mittere vellent, ad parandas eos impulere octo naves, quae, ne expeditio forte irritaretur, Corinthiacas comitarentur. [5]) Navium, quibuscum Clearchum (Ol. 92. 3.) Chalcedonem Byzantiumque navigare Agis iusserat, Lacedaemoniorum rex, maximam contribuere Megarenses partem. [6]) Nec raro classis duces invenimus ex iis exemtos. Huc Pasion attinet, Megarensis, navium septigentarum dux [7]), tum Helixus, classis praefectus [8]), Hermon denique, civis Megarensis factus,

[1]) Pausan. I. 40. 4.
[2]) Herodot. VIII. 1. Diod. Sicul. XI. 17.
[3]) Idem VIII. 45.
[4]) Thucyd. I. 46. I. 49.
[5]) Thucyd. I. 27.
[6]) Xenoph. Hellen. I. 36.
[7]) Idem I. 2. 3. I. 3. 7. Anab. I. 4. 7.
[8]) Xenoph. III. 15. Thucyd. VIII. 80.

qui, perpetuus Lysandri comes, amplissimum insecutus est nomen. [1]) Cuius statua quoque, ab artifice Megarensi facta, in templo a Lacedaemoniis Delphis aedificato diu ostendebatur. [2]) Conon praeterea, Megarensis, in proelio navali apud Aegos flumen commisso egregium Lysandro tulisse fertur auxilium. [3]) Rebus bellicis non infimum eos tenuisse Graecorum locum, aliis quoque comprobatur exemplis. Bello Persico in numero aliquo fuisse videntur. [4]) Praeter Athenienses Aeginetasque, et eos consilium dedisse apud Salaminem pugnandi, auctor est Herodotus. [5]) Megarensibus quoque, qui, Athenis a Mardonio, Persarum duce, iterum expugnatis, ut auxilium sibi ferretur, oratu Spartam se conferrent, Athenienses usi sunt legatis. [6]) Ante pugnam apud Plataeas commissam Graecorum castris ad Erythras Boeotiae positis, gravissimum hostium impetum pertinaciter eos sustinuisse, narrat Herodotus. [7]) Loco, quo tunc consistere iussi erant, periculosissimo, Persarum equitatu diu gra-

[1]) Demosth. adv. Aristocr. p. 691. ed. Reiske. Vol. I. Xenoph. Hellen. VI. 32.

[2]) Pausan. X. 9.

[3]) Idem. l. l.

[4]) Herodot. VIII. 60. 1 et 3.

[5]) Idem. VIII. 74.

[6]) Herodot. IX. 7.

[7]) IX, 21. Diod. Sic. XI. 30. Plut. vit. Aristid. c. 14.

viter pressi, impetum cum ultro sustinere nequirent, ad duces Graecorum praeconem miserunt, nunciatu: *Μεγαρεῖς λέγουσι· Ἡμεῖς, ἄνδρες σύμμαχοι, οὐ δυνατοί εἰμεν τὴν Περσέων ἵππον δέκεσθαι μοῦνοι, ἔχοντες στάσιν ταύτην ἐς τὴν ἔστημεν ἀρχήν· ἀλλὰ καὶ ἐς τόδε λιπαρίῃ τε καὶ ἀρετῇ ἀντέχομεν, καί περ πιεζεύμενοι· νῦν τε, εἰ μὴ τινας ἄλλους πεμψετε διαδόχους τῆς τάξεως, ἴστε, ἡμέας ἐκλείψοντας τὴν τάξιν.* Quo facto auxilium iis latum. In pugna Plataeensi, cui tribus cum millibus gravis armaturae militum intererant[1]), virtute ac fortitudine insignes fuisse eo patet, quod permultorum nominum in basi statuae, in pugnae memoriam collocatae, inscriptorum nomen Megarensium sextum tenuerit locum. [2]). Attamen post pugnam commissam cum Graeci victores Persas acriter insequerentur, parva Megarensium Phlyasiorumque manus, prope Junonis templum collocata, nequiter cecidit (*οὗτοι μὲν δὴ ἐν οὐδενὶ λόγῳ ἀπόλοντο*) [3]). Anno belli Peloponnesiaci octavo contra Athenienses eximie se defenderunt. [4]) Ol. 90, 3. maxime floruisse Megarensium exerci-

[1]) Herodot. IX. 28. 31. Plut. de defect. oracul. p. 629. Vol. VII. ed. R.

[2]) Pausan. V. 23.

[3]) Herodot. IX. 69. Plut. de malignitate Herodoti, Tom. IX. ed. R. p. 460.

[4]) Thucyd. IV. 66.

tum e Thucydidis verbis: καὶ οὗτοι πάντες λογάδες ἀφ᾽ ἑκαστῶν ἀξιόμαχοι, sine dubio intelligitur. [1]) Non levi viguisse videntur auctoritate viri quidam Megarenses, rerum bellicarum causa a popularibus ad alios populos missi. Hic qui commemorentur, digni: Helixus, de quo supra iam monuimus, Megarensis; Nicasus deinde, Cecali, et Menecrates, Amphidori filius, qui ob pacem Ol. 89. 1. inter Athenienses Peloponnesiosque componendam interfuerunt concilio [2]); Calligetus denique, Laophontis filius, pacis auctor Ol. 91. 4. inter Pharnabazum Lacedaemoniosque factae. [3]) Decem ordinum, in quos Ol. 100. 4. bello contra Boeotos gesto cunctus Lacedaemoniorum exercitus esset divisus, sextum Megarensibus fuisse tradunt ordinem. [4]) Repentino cum Graeciam invasisset Brennus, exercitui ab omnibus Graecis festinanter contracto quadringentorum gravis armaturae militum contribuerunt turbam. [5]) Et artibus haud raro usi Megarenses. Megaris ab Antipatro obsessis, graviter pressi, sues in elephantos, qui perturbarentur, compulerunt adipite oblitas accensasque [6]).

---

[1]) Idem. V. 58.
[2]) Idem IV. 119.
[3]) Idem VIII. 6. cf. VIII. 39.
[4]) Diod. Sicul. XV. 31.
[5]) Pausan. X. 20.
[6]) Ael. de animal. XVI. 36. Polyaen. Strateg. IV. 6. 3.

Bellicas attingens Megarensium res, de mira, quae in rebus Megarensium occurrat, voce *δορύξενος* pauca monenda esse duco. Bello civili inter singulorum, in quos Megaris antiquitus divisa erat, vicorum cives, a Corinthiis in se invicem excitatos, exorto, mutuam quandam servare unusquisque studuit aequitatem lenitatemque. Captivum nempe domum abduxere, epulisque ibi exceptum dimisere nec redemtionis postulavere pretium. E servitute vero si quis se redemerit, perpetuus eius, cuius captivus antea fuerat, amicus pro nomine *δορυαλώτου* nomen cepit *δορυξένου.* [1])

Magni pretii rerum apud Pausaniam mentio fit a Megarensibus victoribus, diis consecratarum. [2]) Aerarium etiam Olympiae suis impensis aedificari iusserunt splendidum magnificumque. [3])

Quam de inertia ac tarditate Veteres in Megarensium populum congesserint, obiurgationem effusam esse nimisque elatam, ex aliis quoque facile intelligitur. Maximo tantum labore maximaque industria superari potuisse molestias, ob solum macrum ieiunumque [4]) parvo populo adspersas, quis

---

[1]) Plutarch. Quaest. Graec. Vol. VIII. p. 182.

[2]) Pausan. X. 15. V. 23. cf. Plutarch. de oracul. pyth. p. 581. Vol. VIII. ed. R.

[3]) Pausan. VI. 19.

[4]) Strabo. IX. p. 393. ed. C. Theophrast. Hist. plant II. 9.

est, qui neget? Permagnam ni terrae Megaricae incolae de agro colendo adhibuissent curam, tot fructus prae ceteris magni aestimati in alias regiones nullo modo evehi potuissent. [1])

Ad Doricam Megarensium indolem antequam redirem, de necessitudine, quae inter Megarenses atque Athenienses obtinuerit, pauca monenda esse duco. Quod illi in se converterint, non ignari licet Atheniensium odii, reputemus tamen necesse, perpetuo cavisse Athenienses, ne plane a se abalienarent populum Megarensem. Quos, terram Megaricam eximium sibi esse propugnaculum ratos, prudentes ita se gessisse satis liquet. Quare bello inter Megarenses Corinthiosque Ol. 80. 3. de finibus gesto, Athenienses, Romanorum instar, ad opem exteris ferendam maxime olim propensorum, ut terra sensim potirentur, e re sua Megarensibus auxilium ferre studuere [2]); immo Megaras, regionis caput, longis muris cum portu connectendas curavere. [3]) Megaris Atheniensium, Athenis Megarensium frequentiam omnibus fere temporibus

---

[1]) Nonnullos, ex quibus illa intelliges, laudare sufficiat locos. XVII. 7. Athen. III. p. 296. Schol. Aristoph. Acharn. 802. Plin. H. N. XIX. 5. Athen. lib. VII. p. 24. ed. S. et q. s.

[2]) Thucyd. I. 103.

[3]) Idem. l. l.

esse versatam, horum praecipue non paucos civitate Attica donatos, immo auctoritate insignes, Athenis vixisse narrant; Apollodorum e. g., Megarensem, a populo Atheniensi praedio donatum [1]). Quem igitur simpliciter Atheniensem Lysias vocat. [2]) Sic Philondae mentio fit, Megarensis Athenis μετοίκου. [3]) Plurimi contra Atheniensium exsules refugio capere consueti erant Megaridis caput [4]), ubi eo, quo triginta tyranni Athenis regnabant, tempore praeter multos alios Athenienses Lysiam, oratorem [5]), Androtionem [6]), qui de agricultura Atticisque antiquitatibus libros composuit, ineunte Alexandri Magni regno Demosthenem vixisse narrant. [7])

Iam restat, ut quaeramus, Megaricae indolis quaenam vel magis vel minus integre servata essent Dorica lineamenta. Doricam dialectum integerrimam servavere [8]) Megarenses, propria praeterea pronuntiatione conspicui. Quis est, cui ridicula ignota sit loquendi ratio, qua rusticus utitur Mega-

---

[1]) Lysiae Or. Areopag. VI. 2.

[2]) Idem adv. Agorat. c. 18.

[3]) Demosth. Orat. adv. Timoth. p. 1191. ed. R.

[4]) Quod Plautus etiam spectat. Mercat. Act. III. S. IV. v. 61.

[5]) Plut. Vitae orat. Lys. Tom. IX. p. 322. ed. R.

[6]) Idem de exsilio. p. 388. Tom. VIII.

[7]) Justin. XIII. 5.

[8]) Müller Dorier. II. 8. 531.

ricus, in Acharnensibus Aristophanis agens inductus. Singularis vero, ut modo monui, et mira fuisse videtur Megaricae dialectus indoles [1]). Iocorum Megaricorum rationem si habeas [2]), Megarensium facetias argutiasque ad similitudinem argutiarum, quibus Lacedaemonii, genere illis propinqui, usi sint, prope accedere invenies. Quo fieri potuit, ut Megarenses comoediae evaderent auctores, Athenas translatae [3]). Qua facete arguteque loquendi facultate omne quoque philosophorum Megaricorum nitebatur ingenium, de quo ob arctos huius libelli fines fusius hic disserere nullo modo mihi licuit [4]). Dictis argutis et salsis prae aliis eminuisse Stilponem, Megarensem, quis est, quem fugiat? Qua caeterum ex schola Megarica illustres, qui popularibus ornamento fuere, evaserant viri, ut Euclides, quem cum Euclide mathematico ne commutes, scholae illius stator [5]), Stilpo [6]), cuius modo mentionem feci, et al. Terpsion

---

[1]) Etymol. Magn. s. v. *ἀσσ' ἐθέλησθα*. Suidas s. v. *Μέγαρα*.

[2]) Müller Dorier II. S. 349.

[3]) Müller Dorier. a. a. O. ubi de Susarione disseritur, Tripodiscio.

[4]) Cf. J. A. Rixner Handbuch der Geschichte der Philosophie. Sulzbach, 1822. Bd. I. S. 263 — 68.

[5]) Diogen. Laert. vit. philos. prooem. XIII. 19.

[6]) Idem vita Stilponis.

praeterea, in Platonis dialogis una cum Euclide loquens inductus [1]), Ichthyas, ambagibus et verbositate conspicuus [2]), e. q. a. nomen quaesivere. Theognis quoque, elegicus poeta, qui, Megaris licet Siciliae s. Hyblae, ut videtur, natus [3]), Megaris Peloponnesi perdiu vixisse traditur, Megarensibus nostris est adnumerandus. Philosophorum Megaricorum fama commoti, Aeschines, qui Megaris Dialogos suos recitabat [4]), Plato, qui Euclidem [5]), Timon, qui Stilponem [6]) audiret, Megaras sese contulere. Nomen quaesivisse videntur *τὰ Μεγαρικὰ ἐρωτήματα* [7])

Sed ut ad ea, ex quibus egressi sumus, revertamur, Doricorum institutorum Theognidis etiam aetate *τὰς συσσιτίας* apud Megarenses floruisse nobis traditum est [8]). Doricae quoque indolis speciem prae se tulisse videtur sepeliendi ratio, Megarensium propria [9]). Ab Atheniensium nempe more, qui

---

[1]) Plat. Phaedo. p. 143. ed. Bip. Vol. I. nonnullisque aliis dialog. Theaet. locis. cf. Plut. de genio Socratis. p. 296. Vol. VIII. ed. R.

[2]) Athenaei lib. VIII. p. 234. ed. S.; de Carneo, Cynico, Megarensi, cf. Athen. lib. IV. p. 109. Schweigh. in Athen. T. I. p. 15.

[3]) Müller Dorier. II. S. 122. 3).

[4]) Diogen. Laert. Aeschin. II. 62.

[5]) Idem. III. 6.

[6]) Idem XII. 109.

[7]) Plutarch. *περὶ στοικῶν ἐναντιωμάτων*. p. 290. ed. Reiske. Tom. X.

[8]) Müller Dorier. II. p. 273.

[9]) Idem. II. 401.

versus occidentem cadavera posuere, eo abhorruisse videntur, ut versus orientem ea collocarent [1]). Nec minus Dorica *rerum divinarum* patet origo; huc pertinet Apollinis cultus, e Creta, vero, ut videtur, Doricae indolis fonte, repetendus [2]), Dianaeque et q. a. cultus [3]).

Neque *artem gymnasticam*, qua Dorum genus insigne fuisse inter omnes constat, plane neglexere Megarenses. Quorum gymnici ludi hi fuere praecipui [4]): primo *τὰ Διόκλεα*, in honorem Dioclis herois [5]) instituta, neque ad osculandi modo certamen [6]), sed alius etiam generis ludos relata: tum *τὰ Ἀλκαθοῖα*, in honorem Alcathoi, regis Megarensium, acta: *τὰ Πυθιὰ* denique [7]), quae a magnis ludis Pythiis dignoscerentur, *Πυθιὰ τὰ μικρὰ* vocata [8]), in honorem Apollinis Pythii, cuius dei

[1]) Plutarch. Solon. c. 8. Diog. Laert. Solon. I. 46 — 48. Quam vero sepeliendi rationem apud Megarenses nullo modo obtinuisse, sine ordine potius cadavera ab his sepulta esse auctor est Aelianus. Var. Hist. VII. 19.

[2]) Müller Dorier. I. p. 229.

[3]) Idem. I. p. 380. u. 383.

[4]) De quibus cf. Boeckhii Explicatt. ad Pindar. Ol. VII. 86.

[5]) Schol. Theocrit. Id. XII. 28. Schol. Aristoph. Acharn. v. 774.

[6]) Theocrit. Id. XII. v. 32.
ὅς δέ κε προςμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη,
Βριθόμενος στεφάνοισιν ἑὴν ἐς μητέρ' ἀπῆλθεν.

[7]) Schol. Pind. Nem. 84.

[8]) Philostrat. de vitis Soph. I. 24. 3.

cultus apud Megarenses vetustissimus [1]), instituta. Penthatlo insignis fuit Orsippus, Megarensis, qui in Olympicis primus toto corpore apparuit nudus [2]). Cui in foro Megarensium sepulcrum [3]). Quo celebratur, exstat quoque distichon [4]):

'Ορσίππῳ Μεγαρεῖ μεγαλόφρονι τῆδ' ἀρίδηλον
Μνῆμα θέσαν φάμα Δελφίδι πειθόμενα.

Sed de ludis satis. Ad *rationem reipublicae* transeamus.

Ad eam quae attinent, Doricam indolem minus integre servari potuisse facile intelliges. Vera ab initio Dorica reipublicae instituta Megaris exstasse, e gentis Pamphyliae nomine intelligitur, in inscriptionibus posterioris aevi invento. [5]) Noli mirari, quod optimatum imperium, Dorici generis omnino proprium, apud Megarenses in populare imperium sensim mutatum sit; cunctorum enim hominum maritimorum instar [6]) et Megarenses, quorum terra angusta, utroque sinu maritimo inclusa, populari imperio studuerint necesse est.

---

[1]) Paus. I. 42. 5.

[2]) Müller Dorier. II. p. 261. Etym. Magn. s. v. γυμνασία.

[3]) Pausan. I. l.

[4]) Schol. in Thucyd. I, 6.

[5]) Voyage de Dalmatie, de Grèce, par M. G. Wheler. Trad. de l'Anglois. à la Haye, 1723. 8. T. II. p. 234. Müller Dorier. II. S. 79.

[6]) Aristotel. Polit. V. 5.

Atheniensium, quorum ab amicitia e re quoque sua nunquam removeri vellent, respublica ad formam civitatis Megarensis quam multum valuerit comtandam, popularibus, (ad quae, quod *ὀστρακισμόν* vocavere, attinet exsilium) satis comprobatur institutis. [1]) Pari modo Argis potestatem emersisse popularem, neminem sane fugit. Verae praeterea Dorum indolis testes *regum* exstant nomina, in inscriptionibus posteriorum saeculorum reperta. Quos vero *βασιλεῖς*, ut caeterarum civitatum Doricarum reges, omni quacunque auctoritate ac vi privatos, belli tantum duces fuisse, quis credere dubitet? [2]) De institutis reipublicae Megarensis pauca nobis tradidere Veteres; de *iudicio trecentorum* (*τῶν τριακοσίων*) [3]), de summi pontificis dignitate, conferas, quaeso, ne multis, egregii, quod de Doribus Müllerus composuit, operis Vol. II. p. 168. [4]) Cuius rei pauca tantum inscriptiones praebent, a Muratori, Pockocke aliisque collectae. Quas auctoritate et impensis Academiae regiae Berolinensis Boeckhius, vir celeberrimus, edere pergit, inscriptiones uberiorem fortasse de singulis, quae huc pertineant, rebus disserendi copiam praebebunt.

---

[1]) Aristotel. Pol. III. 13. Phavorin. s. v. *ὀστρακίνδα*.

[2]) Müller Dorier. II. S. 109.

[3]) Demosthen. De falsa legatione P. 435. ed. R.

[4]) Cf. Tittmann Darstellung der griech. Staatsverfassungen. S. 372. ff.

En habes variarum, quales variis temporibus occurrunt, parvae civitatis formarum adumbrationem. Qua Bacchiadum, qui Corinthi fuere, imperio Megarenses se exemerunt, aetate [1]), rempublicam a proceribus s. divitissimis (Timocratia) Megaris administratam invenimus. Divites tantum plebi maxime invisos ubi oppresserat, summum imperium usurpare potuit Theagenes. [2]) Quo expulso per breve tantum tempus respublica bene constituta [3]). Quam vero quae perturbatio rerum, eo, quo Persae Graeciam invasissent, tempore consecuta sit, e nonnullis Theognidis elegiarum versibus, quos ad Megaras Peloponnesi, non Siciliae referendos esse cum Muellero [4]) consentiens crediderim, facile intelligitur. Urbis accolis (*τοῖς περιοίκοις*) in urbem contractis, popularis increbuerat potestas [5]), quae in effrenatum modo abierat imperium (*παλιντοκία, ἱεροσυλία*). [6]) Quod vero non multo post paucorum excepit potestas. [7]) Quae belli Peloponnesiaci initio denuo creverat, popularis potestas

[1]) Schol. Pind. VII. 155. Schol. Aristoph. Ran. 442. Raoul Rochette Histoire de gouvernem. etc. Vol. I. p. 48.

[2]) Aristotel. Polit. V. 4. 5.

[3]) Quaest. Graec. p. 183. Tom. VIII. ed. R.

[4]) Dorier II. S. 167. et 122. 3.

[5]) Ibidem.

[6]) Plut. Quaest. Graec. p. 213. Vol. VIII.

[7]) Aristotel. Polit. V. 4. 3.

Ol. 89. 1. in paucorum, quod diu florebat, imperium, commutata. [1]) Platonis aetate respublica bene constituta [2]); Ol. 101. populare denuo imperium. [3]) Quoties mutata sit civitatis forma, hac ex adumbratione satis, credo, intelligitur.

Megarensibus, genere licet Doribus, Ionica tamen arisisse videtur Atheniensium mollities; hinc luxuria, hinc epulandi studium, hinc meretricum frequentia. Quae cum ita sint, mirum e. g. sane videtur, quod Megarenses, post pugnam apud Leuctra commissam a Boeotis defecturi, luxuriam eorum sibi invisam esse perhibuerint. [4]) Megaris, ubi cuiusvis generis meretrices lenonesque educabantur, schola exstabat illa, ex qua haece quidem prodiere primores: *Aspasia* [5]), post Periclis coniux, *Lais*, ut videtur [6]), *Nicarete*, Stilponis philosophi discipula [7]), *Simaetha* [8]). Neaera quoque cum meretricibus per biennium ibi vixisse traditur. Lenonibus, quos Plautus etiam spectat [9]), Megaricis adnumerandus esse videtur caupo iste, a

---

[1]) Thucyd. IV. 74.
[2]) Platon. Crito. p. 123. ed. Bip.
[3]) Diod. Sicul. XV. 40.
[4]) Athenaeus. lib. X. p. 27. S.
[5]) Idem XII. p. 481.
[6]) Idem XIII. p. 129.
[7]) Idem XIII. p. 158. Diog. Laert. II. 12. 114.
[8]) Idem XIII. p. 58.
[9]) Pers. Act. I. S. III. v 57.

quo Arcadem noctu interfectum Cicero narrat. [1]) Huc pertinere quoque videntur, quos Cicero laudat, versus ludicri, memoratu sane digni: [2])

Athenis Megaram vesperi advenit Simo:
Ubi advenit Megaram, insidias fecit virgini:
Insidias postquam fecit, vim in loco attulit.

Trium meretricum causa bellum Peloponnesiacum esse exortum, ioco narrat Aristophanes. [3])

Arti, qua Dores omnino Ionibus inferiores, non exigua industria ducti, operam navasse videntur Megarenses. Quae vero duabus niti videntur causis: et quod, Atheniensibus tam vicini, celeberrimorum facillime frui potuere artificum doctrina; et quod candidum iis praebuit terra lapidem, ob mollitiem formis effingendis valde aptum. [4]) Artificum Megarensium nomen quaesivere *Theocosmus*, et *Callicles*, filius eius. Quorum mentio fit, opera huius fuere egregia: Diagorae et Gnathonis, qui in gymnicis ludis victores evaserant, statuae [5]); illius: Hermonis, navium ducis [6]),

[1]) Cic. de divinat. I. 27. Val. Max. I. 8. de somniis.

[2]) Idem Rhet. ad Herenn. p. 8. ed. Berol. 1748.

[3]) Aristoph. Acharn. v. 521. sqq.

πόρνην δὲ — ἐν ἠπείρᾳ μένειν·
Κἀντεῦθεν ἀρχὴ τοῦ πολέμου κατεῤῥάγη.
Ἕλλησι πᾶσιν ἐκ τριῶν λαικαστριῶν.

conf. versus, qui huc pertinent, supra iam memoratos.

[4]) Pausan. I. 44. 9.

[5]) Pausan. VI. 7.

[6]) Idem X. 9.

Iovisque signa. [1]) Minoris praeterea formae res, quas signa Megarica Cicero vocat [2]), elaboravere, nec minus e terra figlina multa finxere. Neque ad aedificia exstruenda inhabiles. *Eupalinum*, Megarensem, Naustrophi filium, aquaeductuum, qui apud Samios fuere, celeberrimorum Herodotus nuncupat auctorem. [3]) Niciam quoque, Megarensem, artis fulloniae Plinius vocat inventorem. [4])

Neque *artem musicam* plane neglexisse videntur. Phaoni cuidam, qui, eximia tibiis cantandi facultate gloriatus, Megaris sibi chorum esse dictitabat, Stratonicus „nugaris" acerbe respondit „non est illic tibi chorus, sed vis tibi sit." [5])

[1]) Idem I. 40.
[2]) ad Attic. Ep. 8. et 9.
[3]) Herodot. III. 60.
[4]) Hist. nat. VII. 56.
[5]) Athen. lib. VIII. p. 351. ed. S.

Corrigenda.

P. 11. v. 11. l. *frequentatum illum*, *quo* pro *frequentatam illam*, *qua*
P. 24. v. 14. l. *Antigoni* pro *Antigonis*

VITA,

MORE MAIORUM ADIECTA.

Patria mihi est Francofurtum ad Moenum, ubi XVI. Calend. Iulii a. MDCCCIII natus sum. Gymnasio, quod Friderico Chr. Matthiae rectore ibi floruit, a patre, quondam mercatore, tenerrima iam aetate mandatus, viri illius clarissimi, praematura proh dolor! morte mihi abrepti, Georgii F. Grotefend, Friderici Chr. Schlosser, Caroli Ritter, Mauritii Poppe, aliorumque virorum doctorum disciplina per novem fere annos fruebar. Tum praetextata aetate summae maturitatis testimonio exornatus atque ex classe selecta primus omnium dimissus, Heidelbergam me contuli, ubi cel. A. Thibaut prorectore civium academicorum numero adscriptus, ab ineunte anni MDCCCXXI aestate usque ad aestatem anni MDCCCXXII exeuntem hisce, quas celeberrimi viri habuere, intereram scholis: Friderici Creuzer de symbolica s. Veterum mythologia; Archaeologia; historia literaturae, quam dicunt, Graecorum; Romanorum, et Graecorum antiquitatibus; de Ciceronis libris de legibus. Quo duce quoque per semestria tria seminarii philologici Heidelbergensis sodalis Platonem Herodotumque interpretatus sum, et specimina cum phi-

lologica tum historica exhibui, nec disputationibus defui a sodalibus habitis. Deinde: Friderici Chr. Schlosser de historia et Veterum; et Recentiorum culturae; recentioris Germaniae et Scandinaviae rebus; rebus Graecis et Romanis; historia medii aevi universali. Henrici Vofs denique de Homeri Odyssea, Horatii odis, Aeschyli Persis. Inde ineunte eiusdem anni autumno, ut incepta continuarem, Berolinum profectus sum, ubi cel. Friderico Wilken rectore in albo academico inscriptus, et cel. Raumer decano apud ordinem philosophorum nomen professus, hasce frequentabam scholas, a professoribus illustrissimis habitas: Augusti Boeckh de Nem. et Isthm. Pindari carminibus; Graecorum antiquitatibus; Caroli Ritter de geographia universali; geographia Asiae; Frid. Augusti Wolf de encyclopaedia philologica; grammatica graeca. Fridericum Wilken de historia medii aevi universali; Georgii G. F. Hegel de logices. metaphysice; historia philosophiae; Toelken de aesthetice. In seminario philologico Berolinensi Augustum Boeckh Euripidis tragoedias, et Philippum Buttmann Iuvenalis satiras audivi interpretantes. Vere anni MDCCCXXIV Halam me contuli, ubi, antequam in patriam redirem, aliquandiu versatus, cum J. Christophoro Hoffbauer, illo tempore decano illustrissimi philosophorum ordinis spectatissimo, et C. Godofredo Schütz, et Pfaff, viris sane clarissimis, praecipue congrediebar.





